Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Collatio locorum de consolatione

Melanchthon, Philipp

Vvitenbergae, 1549

Quintus.

urn:nbn:de:bsz:31-61720

Visual Library

Quartus.

Exempla: Cum uidemus totum genus humanum in magnis miseriis esse, & multos sapientia, uirtute & potentia præstantes oppressos esse tristissimis casibus, Herculem, Achillem, Palamedẽ, Miltiadem, Themistoclem, Pompeium, Cæsarem & alios innumerabiles, exempla de æqualitate & iusticia admonent, cum talis sit totius generis humani infirmitas, iniustũ esse appetere inæqualitatem & nolle ferre cõmunia onera, quæ alij ferũt. Nõ es fortior aut honestior Cyro, nec es sapientior Cyro, nec es sapientior Palamede, aut Themistocle, nec melius de tua patria meritus, quam isti de Græcia. Cum igitur isti cõmunes miserias tulerint, cur nos accusamus naturam cum similia patimur?

Quintus.

Collatio euentuum. Cum semper bonis mala mixta sint, fortassis plus mali fuisset in contrario euentu, si uicisset Pompeius, maior cõfusio erat futura Reipub.

Talibus argumentis utcunq; flectitur animꝰ ut tolerare aduersa discat, & cũ conscientia non est saucia, uidet se aliquã tulum a summis abesse malis. Sed hæ Philosophicæ consolationes tantum minore cruciatu sepeliunt hominem, non ostendunt exitum aut liberationem.

Ideo opponendæ sunt consolationes, quæ in Ecclesia traduntur, quæ etiam auxilium & liberationem proponũt, & de causis calamitatum aliter nos erudiunt. Priores autem tituli in consolationibus, quas Ecclesia proponit, conueniunt cum titulis Philosophicis, sed maiores res complectuntur.

LOCI CONSOLATIONVM VT in Ecclesia traduntur.

Primus.

NEcessitas, intueatur non solum immutabilitatem, ut apud Philosophos, sed uoluntatẽ Dei, de qua utrũq; statuendum est, & creaturas omnes obedientiam

Deo